



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

II. Clerici ad saeculares iudices non trahantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

VALENTINIANI III. CÆSARIS
CONSTITVTIO

De diuersis ecclesiasticis capitibus in Galliam missa Theodosio Augusto x i. & Valentiniano Cæsare consulibus, anno Christi ccccxxv.

- | | |
|--|--|
| I. <i>Vt priuilegia ecclesis seruentur.</i> | IV. <i>Manichei item, omnesque heretici, cum mathematicis.</i> |
| II. <i>Clerici ad sæculares iudices non trahantur.</i> | V. <i>Vt Iudais causas agere, aut militare non liceat, nec mancipia Christiana habere.</i> |
| III. <i>Vt pellantur episcopi Pelagiani.</i> | |

Imperator Theodosius Augustus, & Valentinianus Cæsar, Armatio viro illustri præfecto prætorio Galliarum.

I.

Codicis
Theod. de
episcop.
eccles. &
cler. lib. 47.

PRIVILEGIA ecclesiarum, vel clericorum omnium, quæ sæculo nostro Tyrannus inuiderat, prona deuotione reuocamus. scilicet vt quidquid a diuis principibus finguli quique antistites impetrarunt, iugi solidata æternitate seruetur: nec cuiusquam audeat titillare præsumptio, in quo nos nobis magis præstitum confitemur.

II.

Clericos etiam, quos indiscretim ad sæculares iudices debere deduci infaustus præsumptor edixerat, episcopali audientiæ reseruamus: his manentibus, quæ circa eos sanxit antiquitas. Fas enim non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. Inlustris auctoritas tua omni æuo mansura, quæ iussimus in prouinciæ missa notitiam, præcipiet etiam sub pœna sacrilegii custodiri; specialiter id inlustribus comprehensura præceptis, vt in omnibus circa ecclesiastica priuilegia veterum principum statuta seruentur.

III.

Diuersos vero episcopos nefarium Pelagiani & Cælestiani dogmatis errorem sequentes, per Patroclum sacrosanctæ legis antistitem præcipimus conueniri. Quos quia confidimus emendari, nisi intra viginti dies ex conuentionis tempore, intra quos deliberandi tribuimus faculta-